

Binellas, cohærent Belengarii filii Gulielmi, & dat medietatem, & decimam; ibidem aliam, cohæret Alamandus Galla, filii Ogerii de Bublico, & reddunt quintum, & decimam. Interfuerunt testes Michael Sac, Otto Garoz, Petrus de Melaz. Ego Marro Notarius Palatinus, rogatus interfui, & inde hanc cartam tradidi, & scripsi, atque complevi. Ego Ubertus Galea Notarius Palatinus mandato D. Alberti Aquensis Episcopi hanc cartam factam a prædicto Marro, sicut eam inveni in authentico, ita & in isto scripsi exemplo. Ego Bonfilius Not. Pal. &c.

(1) *Dies Dominica concurrat cum die VI. julii an. MCCLXXXI., & MCCLXXXVII. sed indict. in illo erat IX., in isto XV.*

(2) *Hæ notæ indicant annum MCCLXXXI., vel MCCLXXXVII., quo confirmantur superius annotata.*

Confirmatio Clericatus Ecclesiæ S. Nazarii de Predasco facta ab Othone electo Ep. Aquens.

246

MCCLXXXVII.

Anno Domini MCCLXXXVII., indictione XV., die Lunæ XVIII. augusti Aquis in platea majoris Aquensis Ecclesiæ præsentibus Jacobo Gofberti, Rainerio Bellexio . . . de Cavatorio testibus rogatis. D. Presbiter Lanfranchus Ecclesiæ S. Nazarii de Predasco ex sua propria voluntate recepit Bellexium filium Paganini filii quondam fratris Mussi de Secundo in clericum, & in fratrem Ecclesiæ supradictæ osculo pacis interveniente coram D. Othone Electo Aquensi promittendo dictus D. Lanfranchus Presbiter eidem Bellexio Clerico suo dare, reddere, & solvere libras XX. Astenses annuatim in festo Beatæ Mariæ Virginis medio augusti de redditibus, & proventibus Ecclesiæ supradictæ pro sua præbenda, & beneficio, & pro victu, & vestitu dicti Bellexii. Qui Dominus Electus omnia supradicta confirmavit, & suam auctoritatem interposuit, & inde hanc cartam fieri præceperunt. Et ego Guiscardus Notarius Palatinus hanc cartam scripsi, transcripsi &c.

Citatio Oglerii Electi Aquensis Mediolanum occasione novæ electionis Gulielmi Dardanelli in Episc. Aquens.

247

MCCLXXXVIII.

Anno Domini MCCLXXXVIII., indictione I., die Martis XXIV. augusti in Ecclesia plebis S. Bartholomæi de Meladio præsent. &c. D. Oddo-
nus canonicus, & majoris Aquensis Ecclesiæ representavit ex parte R. P. D. O. Sacræ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopi D. Oglerio, qui se gerit pro Electo Aquensis Ecclesiæ litteras, quarum tenor talis est: Otho Dei, & Apostolicæ sedis gratia Sacræ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus Venerabili in Christo fratri D. Oglerio Dei gratia Aquensi Electo salutem, & sinceram in Deo charitatem. Cum ex parte fratris Gulielmi Dardanelli Monaci monasterii S. Petri de Aquis coram nobis præsentatum fuerit quoddam decretum electionis factæ de ipso in Episcopum, & Pastorem Aquensis Ecclesiæ, quam vacare, & eas vos fore privatum

asserit, ipsius electionis, seu postulationis confirmationem, seu approbationem a nobis cum instantia postulando, nos volentes in ipso negotio juris tramitem observare vos requirimus, & citamus, quatenus ad medium mensis octobris proxime venientis coram nobis, seu Vicariis nostris, aut ipsorum altero sufficienter comparere studeatis jura, si quæ vobis in Aquensi Ecclesia competunt, defensuri, quem terminum vobis pro primo, secundo, & tertio peremptorio propter viarum distantiam ad prædicta faciendâ duximus assignandum, & si dies termini in diem inciderit feriatam, sequens dies non feriatâ suppleat; si vero comparere neglexeritis de jure procedemus vobis ulterius non citatis. Dat. Mediolani die XXI. augusti anno Domini MCCLXXXVIII., indictione I. Ego Willelmus Bessuricus Notarius &c.

Indulgentiæ Nicolai PP. IV. pro Eccl. maio. Alex. Diœc. Aquens.

20

MCCLXXXIX.

248

Nicolaus Episcopus servus servorum Dei universis Christi fidelibus præsentibus litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Licet is de cuius munere venit &c. cupientes igitur, ut Ecclesia S. Petri Apostoli de Alexandria Aquensis diœcesis congruis honoribus frequentetur unum annum, & quadraginta dies de injuncta eis pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Romæ apud S. Mariam majorem V. id. decembris Pontificatus nostri anno secundo.

Indulgentiæ multorum Episcoporum pro Eccl. majori Alex. diœc. Aquens.

MCCLXXXIX.

249

Universis Christi fidelibus præsentibus litteras inspecturis Philippus miseratione divina Salernitanus Joannes Mol. Theoctistus Adrianopolen., Joannes Nicosiensis, frater Laurentius Cofanen., Stephanus Bituricensis, Matheus Cretensis, Rodoricus Trecentis, & frater Uhilmanus Bracharensis Archiepiscopi, Aimericus Collimbriensis, & Bartholomeus Gajetanus, Gonterus Ambrianensis, Conradus Tulensis, Joannes Efinus, Joannes Lamicensis, Petrus Salmantinus, Orlandus Narniensis, Maurus Ameriensis, & Enricus Tridentinus Episcopi salutem in Domino sempiternam. Licet is de cujus munere venit &c. Cupientes igitur, ut Ecclesia S. Petri Apostoli in Alexandria Aquensis diœcesis congruis honoribus frequentetur omnibus vere pœnitentibus, qui accesserint, vel manus porrexerint adjunctrices, aut in extremis laborantes, quidquam facultatum suarum legaverint ad fabricam Ecclesiæ memoratæ, nos de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, dummodo has nostras indulgentias loci diœcesanus ratas habere, seu confirmare decreverit, singulis singulas quadraginta dierum indulgentias de injunctis ejus pœnitentiis in Domino relaxamus pro cuius Datum Romæ anno Domini
R.